Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et reddidit eis uisum. Ut his quibus aperuit dominus scripturas.
spiritalis in lege eius sensus et intellectus appareat;
Atque utinam et nobis imponat dominus ihesus manus suas super oculos.
ut incipiamus et nos respicere, non ea quae uidentur.
sed quae non uidentur. et aperiat nobis illos oculos
qui non intuentur praesentia. sed futura. et reuelet nobis
cordis aspectum quo deus uidetur in spiritu. per ipsum
dominum nostrum ihesum christum. cui est gloria et potestas in
saecula saeculorum. Amen; DE EO QUOD SCRIPTUM EST
et adquisiuit ioseph omnem terram egyptiorum
FARAONI. UENDIDERUNT ENIM AEGIP
TII terram suam pharaoni quia obtinuit eos
FAMIS. ET FACTA EST TERRA PHARAONIS
et populum sibi in seruitutem redegit a summis finibus egypti.
USQUE AD SUMMOS FINES EIUS.

Secundum scripturae fidem nullus aegyptius
liber; pharao enim populum sibi in seruitutem redegit.
nec aliquem in terra aegyptiorum fines liberum
dereliquit. sed in omni terra aegypti adempta
libertas est. et propterea forte scriptum est. Ego
sum dominus deus tuus qui eduxi te de terra aegypti de domo ser
uitutis. et quod est infelicius. uoluntariae serui
tutis; nam debebat eis quamuis referent quia in
seruitutem redacti sunt. et quia iugum dominationis